

355 mihi eiusmodi prebet Moeecenatem vt nec optare possim vel amantiorum vel benigniorem.

Londini Anno. m.d. 15. duodecimo calen. Iunias.

336. FROM JOHN FISHER.

Deventer MS. 91, f. 122.
LB. App. 429.

Halling.
(May 1515.)

[Dr. Reich dates this letter in 1516, because of the visit to Rochester actually accomplished in that year (Ep. 452); Mr. Nichols in 1515, on the ground that in 1516 Erasmus' work in Basle was finished. Although Epp. 420 and 459 show that his friends there were still hoping that he would return, 1515 seems to me more probable, from the mention of Agricola (l. 1.) and because in 1516, at the time when this invitation might have been issued, the Bishop was in Cambridge (Epp. 432, 1 n. and 512).]

Halling is a small parish on the Medway above Rochester, where the Bishops had a palace (Hasted, *Hist. of Kent*, i. 475 seq.). Brewer's correction (ii. 2282) to Malling is baseless.]

IOAN. EPISCOPVS ROFFENSIS, ERASMO S. P. D.

PERLEGIMVS, Erasme, his diebus Rodolphi Agricolae Dialecticam; venalem enim eam repperimus inter bibliopolas. Fecit autem vt emerem laus tua, qua illum inter Adagia tua prosequeris; neque enim persuadere mihi potui quin is lectu dignissimus foret, qui a te simul et Hermolao illo tantopere commendatus fuit. Paucis dicam: nihil vñquam, quantum ad artem illam pertinet, legimus iucundius et eruditius; ita singula quidem puncta expressisse videtur. Vtinam iuuenis praeceptorem illum fuisse nactus! Mallem id profecto, neque sane mentior, quam archiepiscopatum aliquem.

Sed de hac re coram dicemus. Quando iter Basileam arrepturus sis, fac per nos venias; consiliis enim tuis nobis opus erit. Quam obrem ne id negligas precor, et felix ac diu valeas. Ex Hallyng.

Tuus Io. Roffensis.

304337₃₄₇ TO MARTIN DORP.

Damiani Elegeia fo. I⁴. v^o.
Lond. xxxi. 42: LB. ix. 1.

Antwerp.
(May fin.) 1515.

[This letter was evidently written on Erasmus' return from England (ll. 20-2). His route lay through Bruges (Epp. 362 and 388), Antwerp, Mechlin (Epp. 356 and 362), Cologne (? : Ep. 374), Mainz, which he passed on 1 June (MRE. 533), Spires (Epp. 355 and 391), and Strasburg. Here he appears to have spent some time, perhaps not reaching Basle until July; cf. Epp. 342, 1 and 343.5, 6. Ep. 344, 1

336. 1. Agricolae Dialecticam] *De Inuentione Dialectica*, Louvain, Th. Martens, 12 Jan. 1515. For the history of the publication see EHR. xxi. pp.

304,5. 3. Adagia] 339, 'Quid cani et balneo?'; which contains Hermolaus Barbarus' epitaph on Agricola.

also implies that Erasmus' arrival at Basle was then recent. It was perhaps on this occasion that he had the honourable reception in Strasburg described in the *Chronik* of Wm. Werner, Freiherr von Zimmern (1485-1575); ed. Barack, in the *Bibl. d. litterar. Vereins in Stuttgart*, 1869, vol. 3, p. 206. See also Ep. 363. 5 n. The inundations mentioned in Epp. 345 and 348 may have helped to prolong his stay.

From Ep. 347 and More's letter to Dorp there mentioned it is clear that like Ep. 333 and 335 the printed version of this letter is an enlargement of that actually sent. After publication in A it did not again appear with Erasmus' *Epiſtolaे*; and in the *Opera* of 1540 it is included among the *Apologiae*—a title which More gave to it at once (Ep. 388). It was reprinted with a few errors corrected in Erasmus' *Enarratio in primum Psalmum*, Louvain, Th. Martens, Oct. 1515 (Ep. 327). Afterwards it formed one of the pieces regularly printed with the *Moriam Encomium*, and appears in all the early editions of that work from 1516 onwards. It was revised for Froben's edition of 1515-16 (α^1), the first in which it is found (cf. Ep. 328. 48 n.), and again for his of July 1522 (β). I have collated the variants between A and Lond. in the following editions: Froben's of Nov. 1517 (α^2), Schürer's of June 1519 (α^3), and Froben's of Nov. 1519 and Oct. 1521, which follow α^3 ; also in the *Opera*, 1540 (ix. 3), which follows β . From the variants in ll. 688 and 871 the London editors seem to have printed from both α^1 and α^2 .]

ERASMVS ROTERODAMVS MARTINO DORPIO THEOLOGO EXIMIO S. D.

NON fuit reddita nobis epistola tua, sed tamen exemplar, haud scio quo modo exceptum, amicus quidam exhibuit Antuerpiae. Deploras Moriam parum feliciter aeditam, studium in restituendo Hieronymo nostrum magnopere comprobas, ab aeditione Noui Testamenti deterres. Quibus litteris tuis, mi Dorpi, tantum abest vt quicquam fuerim 5 offensus, vt posthaec mihi cooperis esse multo charior, cum semper fueris charissimus. Adeo sincere consulis, mones amice, obiurgas amanter. Habet nimirum hoc Christiana charitas, vt etiam cum saeuit maxime, tamen genuinae suae dulcedinis gustum obtineat. Multae mihi cotidie redduntur ab eruditis viris litterae, quae me 10 decus Germaniae, quae solem, quae lunam faciunt, et splendidissimis titulis onerant verius quam ornant. Harum emoriar si vlla vñquam me perinde delectauit vt illa Dorpii mei iurgatrix epistola. Vere dictum est a Paulo, charitatem non peccare; siue quid adulatur, studet prodesse, siue stomachatur, non aliud agit. Atque vtinam 15 licet per ocium ad tuas litteras rescribere, quo tanto amico satisfaciam. Vehementer enim cupio quicquid ago te approbante fieri, cuius ingenio pene coelesti, cuius eruditioni singulari, cuius iudicio longe acerrimo tantum tribuo vt malim vnius Dorpii quam mille caeterorum calculis approbari. Verum adhuc a nauigatione nauseau- 20 bundus et mox equitatione fessus, ad haec in componendis sarcinulis occupatus, satius esse duxi quomodocunque respondere quam amicum in ista relinquere opinione; siue hanc ex teipso conceperis, siue instillauerint alii, qui te ad eam epistolam scribendam subornarunt, quo sub aliena persona suam agerent fabulam.

25

i. Non fuit reddita] Cf. Ep. 334. 168 n.

ii. solem] Cf. Epp. 315. 9, 323. 30.

Primum igitur, vt ingenue dicam, aeditae Moriae propemodum me poenitet. Is libellus nonnihil mihi peperit gloriae vel, si mauis, famae. At ego nihil moror gloriam cum inuidia coniunctam. Quanquam, o superi, quid est hoc totum quod vulgo gloriam vocant, nisi 30 nomen inanissimum ex gentilitate relictum? Quod genus non pauca resederunt apud Christianos, dum immortalitatem appellant famam posteris relictam, et virtutem qualiumcunque litterarum studium. In omnibus aedendis libris hic vnicus semper mihi fuit scopus, vt mea industria aliquam adferrem utilitatem; id si minus assequi possem, 35 certe nullam adferrem noxam. Proinde cum magnos etiam viros videamus litteris suis abusos ad affectus suos digerendos, dum alius cantat ineptos amores suos, alius adulatur iis quos captat, alius iniuria lacesitus stilo referit, alius ipse tibicen est et in efferendis propriis laudibus quemuis Thrasonem, quemuis Pyrgopolinicen superat; at 40 ego quamuis ingenio tenui et perquam exigua doctrina praeditus, tamen hoc semper spectaui vt, si possem, prodessem; sin minus, ne quem laederem. Homerus suum in Thersiten odium molesta carminis hypotyposi vltus est. Plato quam multos nominatim perstrinxit suis dialogis! Cui pepercit Aristoteles, qui nec Platoni pepercit nec 45 Socrati? Habuit suum Demosthenes Aeschynem in quem stilo debaccharetur. Habuit suum Cicero Pisonem, habuit Vatinium, habuit Salustum, habuit Antonium. Quam multos nominatim et ridet et carpit Seneca! Quod si recentiores expendas, et Petrarchae in medicum quandam et Laurentio in Pogium et Politiano in Scalam stilus 50 teli vice fuit. Quem ex omnibus mihi dabis tam modestum qui non amarulentius in aliquem scriperit? Ipse Hieronymus, vir tam pius et grauis, aliquoties non sibi temperat quin in Vigilantium incandescat acrius, in Iouianum insultet immoderatius, in Rufinum amarulentius inuehatur. Semper hic eruditis mos fuit, quicquid dolet aut delectat, 55 chartis ceu fidis sodalibus committere, in harum sinum omnes pectoris aestus effundere. Imo deprehendas quosdam non alio consilio libros scribendos suscipere quam vt in his obiter animi sui motus infulciant atque hac ratione transmittant in posteros.

At ego in tot iam aeditis voluminibus, cum tam multos candidissime laudarim, quaeso, cuius vñquam denigraui famam? cui vel leuissimam aspersi labem? quam gentem, quem ordinem, quem hominem nominatim taxauit? Quid si scias, mi Dorpi, quoties ad id faciendum fuerim nulli tolerandis contumeliis prouocatus? Semper tamen vici dolorem animi mei, magisque rationem habui quid postea ritas esset iudicatura de nobis quam quid illorum mereretur improbitas. Si res ipsa perinde fuisse nota caeteris, vt erat mihi, nemo

35. nullam A : ne quam a.

39. at ego A : ego tamen a.

55. chartis] Hor. S. 2. 1. 30, 1; cf. Ep. 341. 5, 6.

me mordacem iudicasset sed aequum, sed modestum etiam ac moderatum. Sed ita meeum cogitabam, quid aliis cum nostris priuatis affectibus? aut qui nostra haec nota poterunt esse vel procul dissitis vel posteris? Ego non quod illis, sed quod me dignum est, fecero. 70 Praeterea nullus est tam inimicus quem non optem, si fieri possit, in amicum redire. Cur ei rei paecludam viam? cur id scribam in hostem quod aliquando frustra nolim scriptum in amicum? cur notabo carbone cui suum candorem, etiamsi promereatur, non possim restituere? Malo in hanc peccare partem vt vel parum meritos 75 praedicem, quam vt meritos vituperem. Nam si quem falso laudaris, candori tribuitur; sin quantumlibet etiam ignominia dignum suis pinxeris coloribus, non illius factis sed tuo morbo ascribitur. Vt ne dicam interim, quod vt ex iniuriis mutua talione reciprocantibus ingens bellum aliquoties exoritur, sic ex maledictis vicissim vltro 80 citroque regestis periculosissimum incendium non raro nascitur; et vt parum Christianum est iniuriam iniuria pensare, ita parum generosi pectoris est dolorem suum foeminarum exemplo conuitiis vlcisci.

Huiusmodi rationibus ipse mihi persuasi vt semper innoxias et in-
cruentas haberem litteras, nec eas vlliis mali nomine contaminarem. 85 Nec aliud omnino spectauimus in Moria quam quod in caeteris lucubrationibus, tametsi via diuersa. In Enchiridio simpliciter Christianae vitae formam tradidimus. In libello De principis institutione palam admonemus quibus rebus principem oporteat esse instructum. In Panegyrico sub laudis praetextu hoc ipsum tamen agimus oblique 90 quod illic egimus aperta fronte. Nec aliud agitur in Moria sub specie lusus quam actum est in Enchiridio. Admonere voluimus, non mordere; prodesse, non laedere; consulere moribus hominum, non officere. Plato philosophus tam grauis largiores in computationibus inuitatiunculas approbat, quod arbitretur quaedam vitia per hilari- 95 tatem vini posse discuti, quae seueritate corrigi non possent. Et Flaccus existimat iocosam quoque admonitionem non minus atque seriam conducere.

Ridentem, inquit, dicere verum

Quid vetat?

100

Neque non perspectum est hoc sapientissimis olim viris, qui saluber-
rima vitae paecepta ridendis ac puerilibus in speciem apologis pro-
ponere maluerunt, quod per se subaustera veritas, voluptatis illecebra
commendata, facilius penetrat in animos mortalium. Nimirum hoc
est illud mel, quod apud Lucretium medici pueris medentes absynthii 105

72. id A: hic a.

84. incruentas] For this sentiment cf. 94. Plato] Cf. Macr. Sat. 2. 8.
II. 150, 1 and note. 97. Flaccus] S. I. I. 24.5.

88. De principisinstitutione] Cf. Ep. 393. 105. Lucretium] I. 936-8.

poculo praelinunt. Nec in alium vsum veteres illi principes hoc morionum genus in aulas suas induxerunt quam vt horum libertate leuiora quaedam vitia citra vlli offensam et aperirentur et emendantur. Fortasse Christum in hoc album vocare non conueniat.
 110 Verum si licet coelestia cum humanis vlo modo conferre, nonne huius parabolae confine quiddam habent cum veterum apologis? Et iucundius illabitur et acrius insidit in animos euangelica veritas huiusmodi lenociniis commenda, quam si nuda produceretur, id quod in opere de doctrina Christiana diuus Augustinus copiose persequitur.
 115 Videbam quam esset mortalium vulgus stultissimis opinionibus corruptum, idque in singulis vitae institutis, et remedii votum erat verius quam spes. Proinde videbar mihi repperisse rationem vt delicatis animis hac arte tanquam obreperem et cum voluptate quoque mederer. Et sepenumero conspexeram festiuum hoc et iocosum admonendi genus
 120 multis felicissime cedere.

Quod si respondebis personam quam induxi leuiorem esse quam vt sub illius praetextu de rebus seriis disputetur, hanc culpam fortassis agnoscam. Inepti reprehensionem non admodum deprecor, amarulenti deprecor. Quanquam et illud probe tueri possem, si non alia
 125 ratione, certe tot grauissimorum hominum exemplo, quos in ipsius libelli praefati uncula recensui. Quid autem facerem? Diuersabar id temporis apud Morum meum ex Italia reuersus, ac renum dolor complusculos dies domi continebat. Et mea bibliotheca nondum fuerat aduecta. Tum si maxime fuisset, non sinebat morbus quicquid
 130 quam in grauioribus studiis acrius agitare. Coepi per ocium Morias encomium ludere, nec in hoc sane vt aederem, sed vt morbi molestiam hoc velut auocamento leuarem. Operis incoepiti gustum amiculis aliquot exhibui, quo iucundior esset risus cum pluribus communis. Quibus cum vehementer placuissest, institerunt vti pergerem. Observebam cutus sum, et in hoc negotiis septem plus minus dies impendi; qui
 135 sane sumptus mihi pro argumenti pondere nimius etiam videbatur. Deinde quorum instinctu scripsoram, eorundem opera deportatus in Galliam libellus formulis excusus est, sed ab exemplo non solum mendoso verum etiam mitulo. Porro quam disPLICuerit vel illud
 140 satis est argumenti, quod intra pauculos menses plus septies fuerit typis stanneis propagatus, idque diuersis in locis. Demirabar ipse quid ibi cuiquam placeret. Hanc, mi Dorpi, si ineptiam vocas, habes reum confidentem aut certe non reclamantem. Ad hunc modum et per ocium et amiculis obsecundans ineptiui, idque semel duntaxat in
 145 vita. Quis autem omnibus horis sapit? At ipse fateris caeteras lucubrationes meas eiusmodi esse vt iuxta piis atque eruditis omnibus

127. Morum] For this account of the origin of the *Moria* see Ep. 222. introd. 145. omnibus horis] Plin. *N.H.* 7. 40. 131.

magnopere probentur. Qui sunt isti tam rigidi censores vel potius Areopagitae, qui homini vel vnam ineptiae culpam nolint condonare? Quae tam insignis morositas vt vnico ridiculo offensi libello tot vigiliarum superiorum gratia repente scriptorem spolient? Quot¹⁵⁰ ineptias aliorum proferre possem hac multis partibus ineptiores, etiam in magnis theologis, dum rixosas et frigidissimas quaestiones commenti, de nugacissimis nugis perinde ac pro focis et aris inter se digladiantur. Atque isti tam ridiculas fabulas et vel ipsis Atellanis ineptiores citra personam agunt. Ego certe verecundius qui, cum¹⁵⁵ ineptior esse vellem, Stulticiae personam obtexui; et quemadmodum apud Platonem Socrates obiecta facie laudes amoris recitat, ita ipse fabulam hanc personatus egi.

Scribis ab ipsis quibus argumentum displicet, et ingenium et eruditionem et eloquentiam probari, verum eosdem offendit nimis¹⁶⁰ libera mordacitate. At isti reprehensores plus etiam tribuunt mihi quam velim. Quanquam nihil moror hanc laudem, praesertim ab his profectam quibus ego nec ingenium esse puto nec eruditionem nec eloquentiam; quibus si pollerent, mi Dorpi, crede mihi, non tantopere iocis offenderentur salutaribus magis quam ingeniosis aut eruditis.¹⁶⁵ Obsecro te per Musas, quos tandem oculos, quas aures, quod palatum adferunt isti quos offendit in eo libello mordacitas? Primum quae potest illic esse mordacitas, vbi nullius omnino nomen perstringitur praeterquam meum? Cur non venit in mentem quod toties inculcat Hieronymus, vbi generalis est de vitiis disputatio, ibi nullius esse¹⁷⁰ personae iniuriam? Quod si quisquam offenditur, non habet quod expostulet cum eo qui scripsit; ipse si volet, secum agat iniuriarum, vtpote sui proditor, qui declararit hoc ad se proprie pertinere, quod ita dictum est de omnibus vt de nemine sit dictum, nisi si quis volens sibi vendicet. An non vides me toto opere sic a nominibus hominum¹⁷⁵ temperasse, vt nec gentem vllam aerius taxare voluerim? Etenim vbi cuique nationi peculiarem philautiam recenseo, Hispanis asserbo militiae laudem, Italis litteras et eloquentiam, Anglis lautas mensas et formam, et caeteris item eiusmodi quaedam, quae quisque in se dicta vel agnoscat non illibenter vel certe cum risu audiat. Ad haec,¹⁸⁰ cum iuxta argumenti suscepti rationem per omnia mortalium genera voluar et in taxandis singulorum vitiis verser, quae quid vsquam aut dictu foedium occurrit aut virulentum? Vbi flagitiorum sentinam aperio? vbi secretam illam vitae humanae moueo Camarinam? Quis nescit quam multa dici potuerint in malos pontifices, in improbos¹⁸⁵ episcopos et sacerdotes, in vitiosos principes, breuiter in quemuis ordinem, si ad Iuuenal is exemplum non puduisse ea mandare litteris,

^{159.} Scribis] Ep. 304. 54, 5.

^{170.} Hieronymus] Ep. 125. 5, Migne.

^{177.} philautiam] LB. iv. 448 B-E.

^{178.} Anglis] Cf. Ep. 77. 14 n.

quae multos non pudet facere? Tantum festiuia quaedam et ridicula magis quam foeda recensuimus, sed ita recensuimus ut obiter et 190 maximis de rebus nonnunquam admoneamus, quod illos scire magnopere referat.

Scio tibi non esse vacuum ad huiusmodi nugas descendere. Sed tamen si quando dabitur ocium, fac attentius exutias ridiculos illos Moriae iocos; nimirum comperies non paulo magis quadrare ad 195 Euangelistarum et Apostolorum dogmata quam quorundam splendidas, sicuti putant, et magnis dignas magistris disputationes. Atque ipse quoque in tuis litteris non diffiteris pleraque vera esse quae illic referuntur. Verum existimas non expedisse

Auriculas teneras mordaci radere vero.

200 Si putas nullo pacto libere loquendum esse, nec vñquam promendam esse veritatem nisi cum non offendit, cur medici pharmacis medentur amaris, et *ιερὰν πικρὰν* inter laudatissima ponunt remedia? Quod si illi faciunt, corporum medentes vitiis, quanto magis par est nos idem facere in sanandis animorum morbis? Obsecra, inquit Paulus, argue, 205 increpa, oportune, importune. Apostolus vult omnibus modis insectanda esse vitia, et tu nullum vis hulcus attingi? praesertim eum id ea moderatione fiat, ut ne possit quidem quisquam laedi nisi qui studio laeserit seipsum. Quod si vlla est ratio citra vlliis offensam medendi vitiis hominum, haec vna, ni fallor, est omnium maxime 210 accommoda, cum neque nomen cuiusquam aeditur; deinde cum temperatur ab iis, a quorum commemoratione quoque bonorum abhorrent aures—etenim quemadmodum in tragediis quaedam atrociora sunt quam ut oculis spectatorum conueniat exhiberi, et narrasse sufficiat, ita in hominum moribus quaedam obseceniora sunt quam ut vere 215 cunde possint narrari—postremo cum illa ipsa quae narrantur, sub ridicula persona per lusum et iocum efferuntur, ut omnem offensam sermonis hilaritas excludat. An non videmus quantum aliquoties apud seueros etiam tyrannos valeat iocus commodus et in tempore dictus? Quaeso te, quae preces, quae seria oratio potuissest regis 220 illius animum tam facile placare quam militis iocus? ‘Imo,’ inquit, ‘nisi lagena nos destituisset, longe atrociora fueramus in te dicturi.’ Arrisit rex et ignouit. Nec sine causa tam diligenter de risu prae-cipiunt duo summi rhetores, M. Tullius et Quintilianus. Tantam vim habet lepos et iucunditas sermonis, ut etiam in nos apte tortis dicteriorum 225 delectemur, id quod de C. Caesare litteris est proditum. Proinde si fateris vera quae scripsi, si festiuia magis quam obscoena, quae ratio

197. litteris] Ep. 304. 21 seq.

199. Auriculas] Pers. 1. 107, 8.

204. Paulus] 2 Tim. 4. 2.

220. iocus] Cf. Quint. 6. 3. 10.

222. risu] Cic. de Or. 2. capp. 62 seq.;

Quint. 6. 3.

commodior excogitari poterat medicandi communibus hominum malis? Primum ipsa voluptas illectat ad legendum et illectum remoratur. Nam in caeteris alias res alii venantur. Voluptas ex aequo blanditur omnibus, nisi si quis stupidior est quam ut litteratae 230 voluptatis sensu tangi possit.

Porro qui illic offenduntur vbi nullius aeditur nomen, ii mihi videntur haud multum abesse a muliercularum affectibus: quae, si quid in malas foeminas dictum fuerit, sic commouentur quasi ea contumelia ad singulas pertineat; rursum si quid laudis tribuatur 235 probis mulieribus, sic sibi placent quasi quod vnius aut alterius est, id pertineat ad omnium laudem. Absit hoc ineptiae genus a viris, at multo magis ab eruditis viris, maxime vero a theologis. Si quid hic offendit criminis a quo sum immunis, non offendit; sed ipse mihi gratulor, qui vacem iis malis quibus multos obnoxios esse video. 240 Sin est tactum hulcus aliquod, et sum ipse mihi ostensus in speculo, nec hic quicquam est causae cur offendi debeam. Si prudens sum, dissimulabo quod sentio, nec ipse mei veniam proditor. Si probus, admonitus cauebo, ne mihi tale conuitum posthac in os nominatim possit impingi, quod illuc sine nomenclatura notatum video. Cur non 245 saltem hoc donamus huic libello quod vulgaribus istis comoediis tribuunt et idiotae? Quam multa, quanta cum libertate iaciuntur illuc in monarchas, in sacerdotes, in monachos, in vxores, in maritos, in quos non? Et tamen quia nemo nominatim incessit, arrident omnes, et suum quisque morbum aut fatetur ingenue aut dissimulat 250 prudenter. Violentissimi quoque tyranni ferunt scurras et moriones suos, cum ab iis aliquoties manifesto conuitio feriuntur. Non vltus est Imperator Flavius Vespasianus exprobratam sibi cacantis faciem. Et quinam isti tam delicatis auribus qui Moriam ipsam non ferunt in communem hominum vitam sine vlliis nominis inustione ludentem? 255 Nunquam explosa fuissest vetus comoedia, si ab aedendis nominibus illustrium virorum abstinuisset.

At tu quidem, optime Dorpi, ita propemodum scribis quasi totum ordinem theologicum Moriae libellus a nobis alienasset. 'Quid opus fuit' inquis 'theologorum ordinem tam acriter lacessere?' meamque 260 deploras fortunam. 'Olim' inquis 'tuas lucubrationes magno studio legebant omnes, te praesentem videre gestiebant. Nunc Moria veluti Dauus interturbat omnia.' Scio te nihil per calumniam scribere, nec ipse tecum tergiuersatorem agam. Quaeso, lacessitum theologorum ordinem putas, si quid dictum fuerit in stultos aut malos theologos 265 eoque indignos nomine? Atqui si placet ista lex, vniuersum mortaliū genus infensem habeat, qui quid dixerit in sceleratos homines.

253. Vespasianus] Suet. *Vesp.* 20. 260. inquis] Ep. 304. 25-7.
261. inquis] Ep. 304. 51-4.

Quis vñquam fuit tam impudens rex qui non fateatur regum non-nulos esse malos et hoc honore indignos? Quis episcopus tam
 270 insolens quin idem de suo fateatur ordine? An vñus ordo theologorum in tanto numero nullum habet stupidum, nullum indoctum, nullum rixosum, sed tantum Paulos, Basilios et Hieronymos nobis exhibit? Imo contra fit vt quo quaeque professio p̄aeclarior est, hoc pauciores habeat qui respondeant. Plures inuenies bonos naucleros
 275 quam bonos principes, plures medicos bonos quam bonos episcopos. Atqui ea res haud pertinet ad contumeliam ordinis, sed ad laudem paucorum qui in pulcherrimo ordine sese pulcherrime gesserunt. Rogo, die mihi, cur magis offenduntur theologi, si modo sunt qui offendantur, quam reges, quam primates, quam magistratus, quam
 280 episcopi, quam cardinales, quam summi Pontifices? denique quam negociatores, quam mariti, quam vxores, quam iureconsulti, quam poetae?—nullum enim omnino mortalium genus praeterit Moria—nisi quod *(hi)* non vsque adeo desipiunt vt in se quisque dictum existimet quod in genere dictum sit in malos? Diuus Hieronymus
 285 scripsit ad Eustochium de virginitate, atque in eo libro malarum virginum mores ita depingit vt nullus Apelles magis possit oculis exponere. Nunquid offensa est Eustochium? Nunquid succensuit Hieronymo, quod virginum ordinem de honestasset? Ne tantulum quidem. At quamobrem tandem? nempe quod virgo prudens non
 290 existimaret ad se pertinere, si quid dictum esset in malas, imo gaudebat admoneri bonas, ne in tales degenerarent; gaudebat admoneri malas, vt tales esse desinerent. Scripsit ad Nepotianum de vita clericorum. Scripsit ad Rusticum de vita monachorum, ac miris coloribus pingit, miris salibus taxat vtriusque generis vitia. Nihil
 295 offensi sunt ad quos scripsit, quod scirent horum nihil ad se pertinere. Cur non alienatus est Gulielmus Montioius, inter optimates aulicos non infimus, quod multa luserit Moria in proceres aulicos? Nempe cum ipse sit vir et optimus et prudentissimus, arbitratur, id quod res est, quod in malos ac stultos dictum est primates, nihil ad se pertinere.
 300 Quam multa lusit in malos et laicos episcopos Moria? Cur nihil hisce rebus offensus est Archiepiscopus Cantuariensis? Nempe quia vir omni virtutum genere absolutus nihil horum ad se pertinere iudicat.

Quid ego tibi pergam commemorare nominatim de summis principibus, de caeteris episcopis, de abbatibus, de cardinalibus, de viris eruditione claris, quorum neminem adhuc sentio vel pilo factum alieniorem Moriae gratia? Nec adduci possum vt credam ullos theologos irritatos hoc libello, nisi forte pauculos aliquot qui vel non

intelligent vel inuideant vel natura sint adeo morosa vt nihil omnino probent. Habet enim, id quod in confessio est, hoc hominum genus 310 admixtos quosdam, primum ingenio iudicioque adeo infelici vt ad nullas omnino litteras sint appositi, nendum theologicas; deinde, posteaquam pauculas Alexandri Galli regulas edidicerint, ad haec paululum ineptissimae sophistices attigerint; post ex Aristotele decem tenuerint propositiones, nec has intellectas; postremo ex 315 Scoto aut Occam totidem edidicerint quaestiones, quod superest ex Catholico, Mammetrecto et consimilibus dictionariis velut ex Copiae cornu petituri, mirum quam eristas efferant, vt nihil est arrogantius imperitia. Isti sunt qui contemnunt diuum Hieronymum vt grammatisen, quia non intelligent. Isti Graecas, Hebraicas, imo 320 et Latinas rident litteras; et cum sint quoquis sue stupidiores ac ne sensu quidem communi praediti, putant se totius arcem tenere sapientiae. Censent omnes, damnant, pronunciant, nihil addubitant, nusquam haerent, nihil nesciunt. Et tamen isti duo tresue magnas sepenumero commouent tragedias. Quid enim est inscitia vel 325 impudentius vel pertinacius? Hii magno studio conspirant in bonas litteras. Ambiunt in senatu theologorum aliquid esse, et verentur ne, si renascantur bona litterae et si resipiscat mundus, videantur nihil scisse, qui antehac vulgo nihil nescire videbantur. Horum sunt illi clamores, horum illi tumultus, horum coniuratio 330 in viros melioribus addictos litteris. His non placet Moria, quia non intelligunt, neque Graece neque Latine. In huiusmodi non theologos sed theologiae histriones si quid forte dictum sit acerbius, quid hoc ad magnificentissimum bonorum theologorum ordinem? Nam si pietatis studio commouentur isti, cur Moriae potissimum 335 succenserent? Quam impia, quam spurca, quam pestifera scripsit Pogius? at hic vt autor Christianus passim habetur in sinu, in omneis pene versus linguas. Quibus probris, quibus maledictis clericos insectatur Pontanus? at hic vt lepidus ac festiuus legitur. Quantum obscoenitatis est in Iuuenale? at hunc quidam putant 340 concionatoribus etiam vtilem esse. Quam maledice scripsit in

337. vt a: et A.

338. a : lingua A.

339. vt a: et A.

316. Scoto] John Duns 'Scotus' (1265?–1308?), the schoolman: Franciscan and 'Doctor subtilis'. See DNB.

Occam] Wm. Ockham or Occam († 1349?), 'the second founder of Nominalism'; Franciscan and 'Doctor inuincibilis.' See DNB.

317. Mammetrecto] A glossary to the Latin Bible, the *Legenda Sanctorum*, and other devotional writings; also known as Mammotrepton. It was compiled

by Marchesinus of Reggio, a Franciscan (c. 1300? or c. 1466?); and was first printed at Mainz, 10 Nov. 1470.

318. Pogius] in his *Facetiae*, which by 1500 had been translated into English, French, Italian and Spanish.

339. Pontanus] Jovianus Pontanus (Dec. 1426—Aug. 1503) for many years President of the Academy at Naples, a prolific writer of light poetry and prose. See NBG. His Lucianic dialogue, *Charon*, is perhaps intended here.

Christianos Cornelius Tacitus, quam inimice Suetonius, quam impie derident immortalitatem animarum Plinius et Lucianus! at hos tamen eruditionis gratia legunt omnes, et merito quidem legunt.
 345 Solam Moriam, quia salibus aliquot luserit, non in bonos theologos et eo dignos titulo, sed in ineruditorum friuolas quaestiunculas et ridiculum magistri nostri titulum, ferre non possunt.

Ac duo tresue nebulones, theologicō schemate personati, mihi conantur hanc mouere inuidiam, quasi theologorum ordinem laeserim
 350 et alienarim. Ego tantum tribuo theologicis literis vt eas solas soleam appellare litteras. Ita suspicio venerorque hunc ordinem vt huic vni nomen dederim ac voluerim ascribi; quanquam pudore prohibebo quo minus mihi tam eximium titulum asseram, quippe qui non ignorem quae dotes et eruditionis et vitae theologicō nomini
 355 debeantur. Nescio quid homine maius profitetur qui theologum profitetur. Episcoporum ea dignitas est, haud mei similium. Nobis satis est Socraticum illud didicisse, quod nihil omnino scimus, et qua possumus operam nostram iuuandis aliorum studiis conferre.
 Equidem nescio vbinam lateant isti duo tresue theologorum dii, quos
 360 scribis mihi parum esse propicios. Ipse compluribus in locis sum versatus ab aedita Moria, in tot academiis vixi, in tot frequentissimis vrribus. Nullum vnam theologum mihi sensi iratum, nisi vnum aut alterum ex istorum numero qui omnibus bonis litteris sunt hostes. Nec hii tamen vnam verbo mecum expostularunt. Quid
 365 in absentem mussent non admodum obseruo, tot bonorum iudicio fretus. Ni vererer, mi Dorpi, ne cui videar arrogantius quam verius haec dicere, quam multos tibi possem recensere theologos, vitae sanctimonia celebres, eruditione praecellentes, dignitate praeminentes, aliquot ex his etiam episcopos, qui me nunquam magis amplexi sunt
 370 quam post aeditam Moriam, et quibus ille libellus magis arridet quam mihi ipsi. Horum singulos titulis ac nominibus suis hoc loco referrem, nisi vererer ne tantis etiam viris Moriae causa futuri sint iniquiores tres isti theologi; imo vnum duntaxat esse puto apud vos istius auctorem tragœdiae—nam rem propemodum conjecturis
 375 assequor: quem si vellem suis depingere coloribus, nemo miraretur eiusmodi viro dispuuisse Moriam; imo mihi non placet, nisi talibus displiceret. Quanquam nec mihi placet. At isto certe nomine minus displicet, quod talibus ingenii non placet. Plus apud me ponderis habet sapientum et eruditorum theologorum

342. Tacitus] *Ann.* 15. 44. 3 seq.

Suetonius] *Ner.* 16.

352. nomen dederim] Cf. Ep. 200. 8.

359. quos scribis] Not in Ep. 304.

373. vnum duntaxat] Perhaps John Briard (Atensis), with whom Erasmus

was afterwards in conflict; cf. Lond. xiii. 24, LB. 471, where Reich identifies Noxus with Atensis (*ārη*). From his residence at Louvain in 1502-4, Erasmus would have the means to form an opinion.

judicium, qui tantum absunt vt me suggillent mordacitatis, vt 380
 moderationem etiam et candorem meum laudibus vehant, qui procax
 per se argumentum citra procaciam tractarim et in re iocosa sine
 dente luserim. Etenim vt solis respondeam theologis, quos solos
 audio offendi, quis nescit quam multa vulgo quoque dicantur in
 mores malorum theologorum? Moria nihil attingit istiusmodi. 385
 Tantum iocatur in ociosas illorum disceptatiunculas, nec has ipsas
 tamen simpliciter improbat, verum eos damnat qui in his solis
 theologicae rei puppim, vt aiunt, et proram collocant, qui que logo-
 machii, vt diuus appellauit Paulus, eiusmodi sic occupantur vt nec
 euangelicas nec propheticas nec apostolicas litteras vaceat legere. 390

Atque vtinam, mi Dorpi, pauciores essent huic obnoxii criminis.
 Possem tibi producere qui annum egressi octogesimum tantum
 aetatis in huiusmodi tricis perdiderint, nec vnquam contextum
 euangelicum euoluerint; id quod a me compertum ipsi quoque
 demum confessi sunt. Ne sub Moriae quidem persona sum ausus 395
 dicere, quod tamen non raro multos audio deplorantes, theologos et
 ipsos, sed vere theologos, hoc est viros integros, graues, eruditos,
 et qui Christi doctrinam penitus ex ipsis imbiberint fontibus. Ii
 quoties apud eos sunt apud quos fas liberas animi voces depromere,
 deplorant hoc recentius theologiae genus mundo inuectum et vetus 400
 illud desyderant. Quid enim eo sanctius, quid augustius, quid aequo
 resipiens ac referens illa coelestia Christi dogmata? At hoc, vt
 omittam barbari facticiique sermonis sordes et portenta, vt omittam
 omnium bonarum litterarum inscitiam, vt imperitiam linguarum,
 sic Aristotele, sic humanis inuentiunculis, sic prophaniis etiam 405
 legibus est contaminatum, vt haud sciā an purum illum ac
 syncerum Christum sapiat. Fit enim vt, dum ad humanas tradi-
 tiones nimium auertit oculos, minus assequatur archetypum. Hinc
 sepenumero coguntur theologi cordatores aliud apud populum dicere
 quam vel apud se sentiant vel apud familiares loquuntur. Et ali- 410
 quoties non habeant quod respondeant consultoribus, cum perspiciunt
 aliud docuisse Christum, aliud humanis traditiunculis imperari.
 Quaeso, quid commercii Christo et Aristoteli? quid sophisticis
 captiunculis cum aeternae sapientiae mysteriis? quorsum tot quae-
 stionum labirynthi? inter quas quam multae sunt ociosae, quam 415
 multae pestilentes, vel hoc ipso quod contentiones et dissidia pariunt!
 At sunt vestiganda quaedam, sunt et decernenda quaedam. Non
 abnuo. Sed e diuerso permulta sunt quae rectius sit omittere quam
 inquirere (et scientiae pars est quaedam nescire); permulta de quibus

392. annum a: annos A.

393. perdiderint a: perdidissent A.

389. Paulus] 1 Tim. 6. 4.

420 salubrius est ambigere quam statuere. Postremo si quid statuendum est, id velim reuerenter, non arroganter, et ex diuinis litteris, non e commenticiis hominum ratiunculis statui. Nunc neque quaestio-
nularum ullus est finis; in quibus ipsis tamen quanta familiarum et factionum dissensio! Et cotidie decretum ex decreto nascitur.

425 Breuiter eo redacta res est ut negocii summa non tam ex Christi praecripto quam ex scholasticorum definitionibus et episcoporum qualiumunque potestate dependeat: quibus rebus sic inuoluta sunt omnia ut ne spes quidem sit mundum ad verum illum Christianismum reuocandi.

430 Haec aliaque permulta perspiciunt ac deplorant sanctissimi iidemque doctissimi viri, quorum omnium praecipuam causam in audax hoc et irreuerens recentium theologorum genus reiiciunt. O si tibi licaret, mi Dorpi, tacitis oculis animi mei cogitationes intueri; nimirum intelligeres quam multa prudens hoc reticeam loco. At 435 horum aut nihil attigit Moria, aut certe leuissime attigit, ne quem offenderem. Atque eandem cautionem in omnibus seruare curauit, ne quid obscoene scriberem, ne quid pestiferum moribus, ne quid seditiosum, aut quod cum ullius ordinis iniuria coniunctum videri posset. Si quid ibi dictum est de diuorum cultu, semper reperies 440 aliiquid asscriptum quod palam testetur nihil aliud taxari quam superstitionem non recte coalentium diuos. Item si quid in principes, si quid in episcopos, si quid dicitur in monachos, semper addimus quod declareret illud in ordinis iniuriam non esse dictum, sed in corruptos et suo indignos ordine, ne quenquam bonum laederem, 445 dum malorum insecto vitia. Ac rursus, dum hoc ago, subtractis omnium nominibus effeci, quod in me fuit, ne vel mali possent offendi. Postremo, dum salibus et iocis fictaque et ridicula persona tota peragit fabula, curatum est ut tristes etiam et morosi boni consulant.

Iam illud non ut mordacius dictum notari scribis, sed ut impium; 450 nam quo, inquis, pacto ferant piae aures quod futurae vitae felicitatem dementiae speciem vocas? Obsecro te, optime Dorpi, quis tuum candorem docuit subdolum hoc calumniandi genus? siue (quod magis arbitror) quis astutus ad hanc mihi struendam calumniam tua abusus est simplicitate? Ad hunc modum solent isti calumniatores 455 pestilentissimi duo verba decerpere, eaque nuda, nonnunquam et immutata nonnihil, praetermissis his quae durum alioqui sermonem leniunt et explicant. Notat ac docet hanc astutiam in suis institutionibus Quintilianus, ut nostra quam commodissime referamus, additis confirmationibus, et si quid est quod mitiget, quod extenuet,

432. tibi add. a.

450. inquis] Ep. 304. 28-30.

quod alioqui causam adiuuet ; contra, quae sunt aduersariorum, ea 460
destituta his omnibus recitemus, idque verbis quam fieri potest
odiosissimis. Hanc artem isti non ex Quintiliani praeceptis sed ex
sua malevolentia didicierunt ; qua sepenumero fit vt quae magnopere
placitura fuerint, si sic referantur vt scripta sunt, aliter recitata
vehementer offendant. Relege, quaeso te, locum, ac diligenter inspice 465
quibus gradibus quoque sermonis progressu *huc peruentum* sit vt
felicitatem illam dementiae speciem esse dicerem ; ad haec obserua
quibus verbis id explicem. Videbis illic esse quod vere pias aures
etiam delectet, tantum abest vt quicquam sit quod offendat. In tua
recitatione offendiculum est, non in meo libello.

470

Etenim cum hoc ageret Moria, vt vniuersum rerum genus stulticiae
nomine complecteretur, diceretque totius humanae felicitatis summam
a stulticia pendere, per omne mortalium genus peruagata est vsque
ad reges ac summos pontifices ; deinde peruentum est ad ipsos
Apostolos atque adeo Christum, quibus stulticiam quandam tributam 475
reperimus in sacris litteris. Neque vero periculum est ne quis hic
imaginetur Apostolos aut Christum vere stultos fuisse, sed quod in
his quoque fuerit infirmum quiddam et nostris tributum affectibus,
quod ad aeternam illam ac puram sapientiam parum sapiens videri
possit. Verum haec ipsa stulticia vincit omnem mundi sapientiam ; 480
quemadmodum et Propheta omnem mortalium iusticiam pannis
confert foeminæ menstruo fluxu contaminatae. Non quod bonorum
iusticia polluta sit, sed quod ea quae apud homines purissima sunt,
quodammodo impura sint, si ad illam ineffabilem Dei puritatem
conferantur. Et vt sapientem proposui stulticiam, ita sanam in- 485
saniam et cordatam amentiam facio. Quoque mollius esset quod
de sanctorum fruitione sequebatur, praemitto tres Platonis furores,
e quibus felicissimus sit amantium, qui nihil aliud sit quam ecstasis
quaedam. At piorum ecstasis nihil aliud est quam gustus quidam
futurae beatitudinis, qua toti absorbebimur in Deum, in illo magis 490
quam in nobis ipsis futuri. At hunc Plato furem vocat, cum quis
extra se raptus in eo est quod amat eoque fruitur. Non vides quam
diligenter paulo post distinxerim stulticiae et insaniae genera, ne
quis simplicium in verbis nostris labi posset ?

Verum de re non pugno, inquis, a verbis ipsis abhorrent piorum 495
aures. At cur non offenduntur eadem aures istae, cum Paulum
audiunt dicentem, ‘Quod stultum est Dei’ et ‘stulticiam crucis’ ?
Cur non diuum Thomam in ius vocant, qui de Petri ecstasi scribit
in hunc modum : ‘Dum pie desipit, sermonem incipit de taberna-

481. Propheta] *Is. 64. 6.*496. Paulum] *1 Cor. 1. 25 and 23.*487. praemitto] *LB. iv. 439 b.*498. Thomam] *Perhaps cf. Comm. in**Platonis] Phaedr. 244 seq.**Matt. 17. 5.*

500 culis.' Sacrum illum ac felicem raptum desipientiam vocat. Et tamen ista canuntur in templis. Cur mihi non olim scripsere dicam, quod in precatione quadam Christum magum dixerim et incantatorem? Diuus Hieronymus Christum Samaritanum appellat, cum fuerit Iudeus. Paulus eundem et peccatum vocat, quasi plus 505 dicas quam peccatorem; maledictum vocat. Quam impium con uitium, si quis maligne velit interpretari? quam pia laus, si quis, vt Paulus scripsit, ita accipiat? Ad consimilem modum, si quis Christum praedonem appelleat, si quis adulterum, si quis temulentum, si quis haereticum, nonne futurum sit vt boni omnes obturent aures?

510 At si quis commodis verbis haec efferat, et sermonis progressu paulatim hoc lectorem veluti manu deducat, quemadmodum triumphans per crucem praedam ab inferis abductam patri reuexerit, quemadmodum Moysi synagogam, velut vxorem Vriae, sibi adiunxerit, vt ex ea nasceretur pacificus ille populus, quo pacto charitatis musto 515 temulentus semetipsum nobis impenderit, quemadmodum nouum doctrinae genus inuexerit, ab omnium et sapientum et insipientum placitis longe diuersissimum; quis quaeso poterit offendit, praesertim cum horum vocabulorum singula nonnunquam reperiamus in arcanis litteris in bonum usurpata sensum? Nos in Chiliadibus (nam id 520 obiter venit in mentem) Apostolos Silenos appellauimus, imo Christum ipsum Silenum quendam diximus. Accedat iniquus interpres qui hoc tribus verbis odiosius explicet, quid intolerabilius? At legat pius et aequus quae scripsi, probabit allegoriam.

Demiror autem nec illud animaduersum ab istis, quam cautim 525 efferam ista, quamque correctione studeam mitigare. Sic enim propono: 'Sed posteaquam semel τὴν λεοντῆν induimus, age doceamus et illud, felicitatem Christianorum, quam tot laboribus expetunt, nihil aliud esse quam insaniae stulticiae genus quoddam. Absit inuidia verbis. Rem ipsam potius expendite.' Audisne? Primum 530 quod Moria de re tam arcana disputat, id mitigo prouerbio, quod iam leonis exuuium induerit. Nec simpliciter appello stulticiam aut insaniam, sed 'stulticiae insaniaeque genus', vt piam stulticiam et felicem intelligas insaniam, iuxta distinctionem quam mox subiicio. Nec hoc contentus, addo 'quoddam', vt appareat figuram subesse, 535 non simplicem esse sermonem. Nec his contentus, offensam deprecor, quam verborum sonus possit gignere, et admoneo vt magis obseruent quid dicatur quam quibus dicatur verbis; atque

511. lectorem add. a.

502. precatione] The first mentioned in Ep. 93. 101 n.: LB. v. 1213 A.

503. Hieronymus] *Hom. Orig. in Luc.* 34.

504. Paulus] Gal. 2. 17 and 3. 13.

519. Chiliadibus] *Adag.* 2201 init.: (LB. ii. 772 B and 771 D).

526. Sed posteaquam] LB. iv. 500 B.

haec quidem in ipsa statim propositione. Iam vero in ipsa rei tractatione quid est omnino quod non pie, quod non circumspecte sit dictum ac reverentius etiam quam vt conueniat Moriae? Sed 540 ibi malui paulisper obliuisci decori quam non satisfacere dignitati rei; malui rhetorice offendere quam laedere pietatem. Ac postremo peracta probatione, ne quem moueret, quod de re tam sacra Stulticiam, hoc est iocosam personam, fecerim loquentem, et hanc deprecor culpam hisce verbis: ‘Verum ego iamdudum oblitera mei, ὅπερ τὰ 545 ἐσκαμένα πηδῶ. Quanquam si quid petulantius aut loquacius a me dictum videbitur, cogitate et Stulticiam et mulierem dixisse.’

Vides vt nusquam cessarim omnem offendiculi ansam praecidere. Verum ista non perpendunt, quorum aures praeter propositiones, conclusiones et corollaria nihil admittunt. Quid quod praefatione 550 praemunierim libellum, qua conor omnem praecludere calumniam? Neque quicquam addubito quin ea candidis omnibus faciat satis. Quid autem facias istis qui vel ob ingenii pertinaciam sibi satisfieri nolint, vel stupidiores sint quam vt satisfactionem intelligent? Nam quemadmodum Simonides dixit Thessalos ebetiores esse quam 555 vt possint a se decipi, ita quosdam videoas stupidiores quam vt placari queant. Ad haec non mirum est inuenire quod calumnietur, qui nihil aliud quaerit nisi quod calumnietur. Quod si quis eodem animo legat diui Hieronymi libros, centum locos offendet quae calumniae pateant, nec deerit in omnium Christianissimo doctore 560 quod ab istis haereticum possit appellari; ne quid interim dicam de Cypriano, de Lactantio deque caeteris consimilibus. Denique quis vnquam audiuuit ludierum argumentum in theologorum vocari cognitionem? Quod si placet, cur non eadem opera, quicquid a poetis hodie scribitur aut luditur, ad hanc excutient legem? Quot 565 illic reperient obscoena, quot veterem paganismum olentia? Verum haec, quoniam inter seria non habentur, nemo theologorum existimat ad se pertinere.

Neque tamen postulem istorum exemplum mihi patrocinari. Ego nec ioco scriptum a me velim quod vlo paeto Christianorum officiat 570 pietati; modo detur qui quod scriptum est intelligat, modo detur aequus et integer, qui que cognoscere studeat, non affectet calumniari. At si quis istorum habeat rationem qui primum nullo sunt ingenio praediti, minore iudicio; deinde nihil omnino bonarum litterarum attigerunt, sordida tantum ista perturbataque doctrina infecti potius 575 quam eruditii; denique infensi omnibus qui sciunt quod ipsi nesciant,

555. Simonides a: Themistocles A.

545. Verum ego] LB. iv. 504 B.

555. Simonides] Plut. *de Aud. Poet.* p. 15 D.

nec aliud secum adferentes propositum quam calumniandi, quicquid illud sit, quod forte vt cunque intellexerint: is nimurum nihil omnino scripturus est, si vacare velit calumnia. Quid quod istorum non nullos gloriae studium ad calumniandum adducit? Nihil enim gloriosius inscitia cum scientiae persuasione coniuncta. Proinde cum vehementer sitiant famam nec eam possint bonis rationibus assequi, malunt Ephesium illum iuuenem imitari, qui incenso phano totius orbis celeberrimo nobilitatus est, quam inglorii viuere. Et 585 cum ipsi nihil lectu dignum possint aedere, toti sunt in hoc, vt celebrium virorum lucubrationes carpant.

De aliis loquor, non de me, qui nihil omnino sum. Ac Moriae libellum ipse ne pili quidem facio, ne quis putet hac re commoueri nos. Quid autem mirum si tales quales modo diximus, propositiones 590 aliquot eligant ex magno decerpas opere; quarum alias faciant scandalosas, alias irreuerentiales, alias male sonantes, alias impias et haeresim sapientes: non quod haec mala reperiant illic, sed quod ipsi secum adferant! Quanto placabilius erat et Christiano candore dignius, eruditorum hominum industriam fauore alere et, si quid 595 forte fortuna fuerit elapsum incogitantius, aut conniuere aut comiter interpretari, quam inimice quaerere quod reprehendas, et sycophantam agere, non theologum! Quanto felicius mutua collatione vel docere vel discere et, vt Hieronymianis vtar verbis, in scripturarum campo sine nostro dolore ludere! At in istis mirum quam nihil sit medium. 600 Quosdam autores sic legunt vt quantumuis manifestum inciderit erratum, vel friuo praetextu defendant; in quosdam adeo sunt iniqui, vt nihil tam circumspecte dici possit quod non aliqua ratione calumnientur. Quanto praestiterat, dum haec agunt, dum vicissim et lacerant et lacerantur, simul et suum per dentes ocium et alienum, 605 Graecas aut Hebraicas aut certe Latinas litteras discere! quarum cognitio tantum adfert momenti ad diuinarum scientiam litterarum, vt mihi sane videatur vehementer impudens earum rudem theologi nomen sibi vindicare.

Proinde, Martine optime, pro mea in te benivolentia non te 610 desinam adhortari, quod antehac sepius feci, vt studiis tuis saltem Graecarum litterarum cognitionem adiungas. Rara quaedam est ingenii tui felicitas. Stilus solidus et neruosus ac fluens et exuberans animum arguit non sanum modo verum et foecundum. Suppetit aetas non tantum integra sed virens adhuc et florida. Et vulgatum 615 istum studiorum cursum iam feliciter absoluisti. Crede mihi, si istis tam praeclaris initiiis Graecanicae litteraturae colophonem addideris, ausim tum mihi tum aliis omnibus magnum quiddam de te polliceri, et quod antehac nemo recentium theologorum praestiterit. Quod si in hac es opinione, vt amore verae pietatis

putes omnem humanam eruditionem esse contemnendam, et arbitri-⁶²⁰
traris ad hanc sapientiam maiore compendio perueniri transfigura-
tione quadam in Christum, caeteraque omnia quae digna cognitu-
sint, plenius in fidei lumine perspicie quam in hominum libris, facile
tuae subscipsero sententiae. Quod si, ut nunc habet humanarum
rerum status, veram theologicae rei cognitionem tibi promittis ⁶²⁵
absque linguarum peritia, praesertim eius in qua pleraque sunt
traditae diuinæ litteræ, tota nimirum erras via.

Atque vtinam hanc rem persuadere tibi tam possim quam cupio ;
nam cupio non minus quam et te diligo et tuis studiis faueo, porro
tum diligo effusissime, tum faueo impensissime. Quod si tibi non ⁶³⁰
possum approbare, saltem illud amici precibus dones velim, ut
periculum facias. Nihil recusabo supplicii, nisi fateberis amicum
ac fidum fuisse consilium. Si quid meretur hic meus in te amor,
si quid valet patria communis, si quid tribuis huic, non ausim
dicere doctrinae, sed certe laboriosae in bonis litteris exercitationi, ⁶³⁵
si quid tribuis aetati (nam quantum ad annos attinet, ego tibi pater
esse possem) ; sine me hoc vel gratia vel autoritate, si minus argu-
mentis, abs te impetrare. Ita demum mihi videbor eloquens, quod
tu mihi soles tribuere, si hanc rem persuasero. Quod si assequor,
futurum est ut vterque gaudemus, ego dedisse consilium, tu paruisse ; ⁶⁴⁰
et qui nunc es omnium charissimus, hoc nomine non paulo futurus
es charior, quod te tibi reddiderim chariorem. Sin minus, vereor ne
natu iam grandior ac rerum vsu doctus et meum probaturus sis
consilium et tuam damnaturus sententiam ; quodque fere solet vsu
venire, tum intelligas errorem tuum, cum serum erit mederi. ⁶⁴⁵
Possem tibi permultos enumerare nominatim, qui cani iam cooperint
in his litteris repuerascere, quod tandem animaduertissent sine his
mancum ac caecum esse litterarum studium.

Verum hac de re nimis iam multa. Ut ad tuam redeam epistolam,
quoniam existimas hac vna ratione leniri posse theologorum inuidiam ⁶⁵⁰
et veterem instaurari fauorem, si quasi παλαιώδῶν Sophiae laudem
opponam Morias Encomio, vehementer hortaris et obsecras ut ita
faciam. Ego, mi Dorpi, qui neminem contemno nisi me ipsum,
quique cupiam, si liceat, vniuersos mortales habere placatos, nec hoc
laboris grauarer suscipere, nisi prospicerem futurum ut si quid apud ⁶⁵⁵
pauculos iniquos et indoctos ortum est inuidiae, non solum non
extinguatur verumetiam magis exacerbetur. Proinde satius esse
duco μὴ κυρέω τὸ εὖ κείμενον κακὸν, καὶ ταύτης Καμαρίνας μὴ ἄπτεσθαι.
Rectius, ni fallor, tempore languescat haec excetra.

Nunc ad alteram epistolae tuae partem venio. Operam meam ⁶⁶⁰

^{652.} hortaris] Ep. 304. 69-75.

^{660.} alteram] Ep. 304. 81 seq.

in Hieronymo restituendo magnopere comprobas et ad consimiles hortaris labores. Hortaris tu quidem iam currentem; quanquam non tam hortatoribus opus est ad hanc rem quam adiutoribus, tantum est in negocio difficultatis. Verum nolim posthac mihi 665 quicquam credas, nisi hic veracem deprehenderis. Isti quos tanto-pere offendit Moria, nec Hieronymi probabunt aeditionem. Nec isti multo sunt aequiores Basilio, Chrysostomo, Nazianzeno quam nobis, nisi quod in nos licentius debacchantur; quanquam aliquoties irritatores nec illis indigna luminibus verentur effutire. Bonas 670 litteras metuunt et suae timent tyrannidi. Atque ut intelligas me non temere hoc diuinare, cum opus esset institutum et fama iam percrebusset, accurrere quidam graues, ut habentur, viri et insignes, ut sibi videntur, theologi, per omnia sacra typographum obtestantes ne quid Graecitatis aut Hebraismi pateretur admisceri: 675 ingens in eis litteris esse periculum, nec quicquam esse fructus; ad solam curiositatem esse paratas. Et ante hoc tempus cum apud Britannos agerem, forte fortuna incidit mihi compotatio cum Franciscano quodam primi nominis Scotista, qui plebis iudicio multum sapere, suo nihil nescire videtur. Huic cum exposuisse quid in 680 Hieronymo conarer, vehementer admiratus est esse quicquam in huius libris quod a theologis non intelligeretur; homo usque adeo indoctus ut demirer si tres versus in omnibus Hieronymi lucubrationibus recte intelligat. Addebat homo suavis, si quid in Hieronymi praefationibus addubitarem, Britonem omnia luculenter exposuisse.

685 Quaeso, mi Dorpi, quid istis facias theologis aut quid preceris, nisi forte fidelem medicum qui cerebro medeatur? Et tamen huius farinae sunt aliquoties qui in theologorum consessu fortissime vociferantur; hii de Christianismo pronunciant. Timent et horrent ceu rem periculosam ac pestilentem, quam diuus Hieronymus, quam 690 Origines etiam senex magnis sudoribus sibi parauit, quo vere theologus esset. At Augustinus iam episcopus, iam senex, in Confessionum libris deplorat quod iuuenis ab eis litteris abhorruisset quae sibi in exponendis sacris litteris magno usui esse potuissent. Si periculum est, non metuam hoc discriminis, quod viri tam sapientes affectarunt. 695 Si curiositas, nolim esse sanctior Hieronymo de quo quam bene mereantur isti, qui quod ille fecit curiositatem vocant, viderint ipsi. Extat peruetustum pontificii senatus decretum de constituendis

688. Christianismo A a²: Christianissimo a¹ Lond.

671. institutum] Jerome was already begun in 1510: see MHE. i. 1.

678. Scotista] The incident occurred in London. It is more fully related in the notes on Jerome, iv. f. 4 v°.

684. Britonem] Oliver of Tréguier († 1296), a learned Dominican, and commentator on the Sentences.

691. Augustinus] Conf. 1. 12 seq.

697. decretum] Cf. Ep. 182. 181 n.

doctoribus qui linguas aliquot publice traderent, cum de sophistica, de Aristotelis philosophia perdiscenda, nusquam vñquam quicquam sit cautum ; nisi quod ista in Decretis vocantur in dubium, vtrum 700 fas sit ea discere necne. Atque horum studium a multis ac magnis autoribus improbatur. Cur quod Pontificum autoritas iussit negligimus ; de quo dubitatum est, imo quod improbatum, id solum amplectimur ? Quanquam idem istis euenit in Aristotele quod in diuinis litteris. Adest vbiique Nemesis illa, contempti sermonis 705 vñtrix ; passim et hic hallucinantur, somniant, cecutiunt, impingunt, meraque portenta proferunt. His egregiis theologis debemus quod ex tam multis scriptoribus quos in catalogo recenset Hieronymus, tam pauci supersint, quia scribebant quod magistri nostri non intelligerent. His debemus quod diuum Hieronymum sic habemus 710 deprauatum ac mutilum, vt aliis plus prope negotii sit in restituendo quam ipsi fuerit in scribendo.

Iam vero quod tertio loco scribis de Nouo Testamento, sane demiror quid tibi acciderit, aut quonam interim perspicacissimos ingenii tui oculos auerteris. Nolis quicquam a me mutari, nisi si 715 quid forte sit apud Graecos significantius ; et negas in hac qua vulgo vtimur aeditione quicquam esse vitii. Nefas esse putas rem tot saeculorum consensu, tot synodis approbatam, vlo pacto conuellere. Obsecro te, si vera scribis, eruditissime Dorpi, cur frequenter aliter citat Hieronymus, aliter Augustinus, aliter Ambrosius quam nos 720 legimus ? Cur Hieronymus multa reprehendit et corrigit nominatim, quae tamen in hac habentur aeditione ? Quid facies cum tam multa consentiunt, hoc est cum secus habent Graecorum codices, cum ad horum exemplar citat Hieronymus, cum idem habent vetustissima Latinorum exemplaria, cum ipse sensus multo rectius quadrat ? 725 Num his omnibus contemptis tuum sequeris codicem fortassis a scriba deprauatum ? Neque vero quisquam asseuerat in diuinis litteris vñllum esse mendacium, quandoquidem et hoc adductum est abs te ; neque totum hoc, de quo cum Hieronymo digladiatur Augustinus, quicquam ad rem pertinet. At illud ipsa res clamitat, 730 et vel caeco, quod aiunt, potest esse perspicuum, sepe vel ob imperitiam interpretis vel ob oscitantiam Graeca male redditia esse, sepe germanam ac veram lectionem ab indoctis librariis fuisse deprauatam, id quod cotidie videmus accidere, aliquoties mutatam a semidoctis parum attentis. Vter magis fauet mendacio, qui haec corrigit ac 735 restituit an qui citius ferat addi mendam quam tolli ? quandoquidem ea deprauatorum natura est vt menda mendam gignat. Et sunt fere eiusmodi quae mutamus, vt ad emphasis pertineant magis quam

713. tertio] Ep. 304. 86 seq.

ad sensum ipsum ; quanquam se numero magna sensus pars est
 740 emphasis. Verum non raro tota aberratum est via. Quod quoties
 accidit, quaeo te, quo confugit Augustinus, quo Ambrosius, quo
 Hilarius, quo Hieronymus, nisi ad Graecorum fontes ? Id cum sit
 ecclesiasticis quoque decretis comprobatum, tamen tergiuersaris et
 studes refellere, vel potius elabi distinctiuncula.

745 Scribis eo saeculo Graecorum codices emendationes fuisse Latinis ;
 nunc contra esse, nee fidendum illorum libris qui descierint ab
 eccllesia Romana. Vix adducor ut credam te hoc ex animo scribere.
 Quid ais ? non legemus eorum libros qui descierunt a fide Chri-
 stiana ? Cur igitur Aristoteli tantum autoritatis tribuunt ethnico, cui
 750 nihil vnam fuerit cum fide commercii ? Tota Iudeorum gens
 a Christo descivit ; nihil igitur ponderis habebunt apud nos Psalmi
 et Prophetae suo sermone scripti ? Iam mihi recense capita omnia
 in quibus Graeci a Latinis dissentient orthodoxis ; nihil reperies quod
 ex Noui Testamenti verbis natum sit aut quod hue pertineat. Tan-
 755 tum de vocabulo hypostaseos, de processione sancti Spiritus, de con-
 secrandi ceremoniis, de paupertate sacerdotum, de potestate Romani
 Pontificis controuersia est. At nihil horum ex falsatis approbant
 exemplaribus. At quid dices vbi videris sic interpretatum Originem,
 sic Chrysostomum, sic Basilium, sic Hieronymum ? Num eo quoque
 760 saeculo falsauerat aliquis Graecorum codices ? Aut quis vnam
 deprehendit Graecorum codices vel uno in loco falsatos fuisse ?
 Postremo cur falsare velint, cum hinc non tueantur sua dogmata ?
 Adde hoc quod semper in omni doctrinæ genere Graecorum codices
 emendationes fuisse quam nostros fatetur et M. Tullius, quanquam
 765 alioqui Graecis iniquior. Nam distinctio litterarum, apices et ipsa
 scripturae difficultas in causa est quo minus facile queant vitiari ;
 aut si quid fuerit vitiatum, facilius possit restituiri.

Porro quod scribis ab hac aeditione non esse recedendum tot vide-
 licet consiliis approbata, more vulgarium theologorum facis ; qui
 770 quicquid vlo modo in publicum vsum irrepsit, ecclesiasticae tribuere
 solent autoritati. At mihi vel vnam profer synodus in qua sit haec
 aeditio comprobata. Nam qui comprobauit, quae eius sit nemo
 nouit ? Nam Hieronymi non esse vel ipse testantur Hieronymi
 praefationes. Sed esto comprobarit synodus aliqua : num ita com-
 775 probauit vt nihil omnino liceat ex Graecorum fontibus emendare ?
 Num mendas etiam omnes comprobauit, quae variis modis potuerint
 irreperere ? Num huiusmodi verbis conceptum fuit decretum a patri-
 bus ? ‘Haec aeditio cuius sit autoris nescimus, sed tamen eam appro-

752. suo 4 : illorum a.

745. Scribis] Ep. 304. 111 seq.

and 3. 4. 3.

764. Tullius] Cf. Ep. Q. Fr. 3. 5. 6.

768. scribis] Ep. 304. 93 seq.

bamus; nec obstarere volumus, si quid secus habent Graeci codices, quantumuis emendati; si quid secus legit Chrysostomus aut Basilius ⁷⁸⁰ aut Athanasius aut Hieronymus, etiam si illud magis quadrauerit ad sensum euangelicum: et tamen hos ipsos autores in caeteris magnopere comprobamus. Quin etiam quicquid in posterum quocunque modo vel a semidoctis et audaculis vel ab imperitis, ebriis, oscitantibus librariis fuerit viciatum, deprauatum, additum, omissum, eadem ⁷⁸⁵ probamus autoritate; neque cuiquam volumus licere mutare scripturam semel inductam.' Ridiculum decretum, inquis. At huiusmodi necesse est fuisse, si nos autoritate synodi deterres ab hac industria.

Postremo quid dicturi sumus, vbi viderimus nec huius aeditionis ⁷⁹⁰ exemplaria consentire? Num et hanc pugnantiam approbavit synodus, praescia videlicet quid quisque mutatus esset? Atque utinam, mi Dorpi, tantum esset ocii Romanis Pontificibus ut hisce de rebus salutares aederent constitutiones: quibus caueretur de restituendis bonorum autorum monumentis, de parandis et reponendis ⁷⁹⁵ emendatis exemplaribus. Verum in eo consilio sedere nolim istos falsissimo nomine theologos, qui hoc tantum spectant ut quod ipsi didicerunt, id solum habeatur in precio. Quid autem isti didicerunt, quod non sit ineptissimum et idem confusissimum? Quibus si contingat tyrannis, futurum est ut antiquatis optimis autoribus insul-⁸⁰⁰ sissimas istorum naenias pro oraculis habere cogatur mundus: quae usque adeo nihil habent bonae eruditionis, ut ego sane malim vel mediocris esse cerdo quam istius generis optimus, si nihil melioris accesserit doctrinae. Isti sunt qui nolint quicquam restitui, ne quid ignorasse videantur. Hii nobis fictam synodorum autoritatem ⁸⁰⁵ obiiciunt; hii magnum Christianae fidei discrimen exaggerant; hii periculum ecclesiae (quam isti scilicet humeris suppositis fulciunt, rectius plastrum fulturi) et huiusmodi fumos spargunt apud vulgus indoctum ac superstitiosum; apud quod cum pro theologis habeantur, nolint ullam opinionis suae iacturam facere. Verentur ne, cum per-⁸¹⁰ peram diuinis citant litteras, id quod sepenumero faciunt, Graecae aut Hebraicae veritatis autoritas in os iaciatur, et mox appareat esse somnium quod velut oraculum adducebatur. Diuus Augustinus, vir tantus, ad haec episcopus, non grauatur vel ab anniculo puero discere. Isti tales malunt omnia sursum ac deorsum miscere quam commit-⁸¹⁵ tere ut quicquam videantur ignorare quod ad absolutam pertineat eruditionem: quanquam nihil hic video quod magnopere pertineat ad fidei Christianae synceritatem. Quod si maxime pertineret, hoc certe magis esset elaborandum.

Neque vero periculum est ne protinus omnes desciscant a Christo, ⁸²⁰ si fors auditum fuerit repertum esse in sacris libris quod vel scriba

deprauarit indoctus aut dormitans vel interpres nescio quis parum apte verterit. Aliis ex rebus hoc periculum est, quas hoc loco prudens subticeo. Quanto Christianus fuerit semotis contentionibus 825 quod quisque possit in communem usum libenter conferre, idque candide amplecti, simulque et citra fastum discere quod nescias, et citra inuidiam docere quod scias. Quod si qui sunt illitteratores quam ut quicquam recte docere possint, elatiores quam ut quicquam discere velint; hos, quoniam pauculi sunt, valere sinamus, et bona-
830 rum aut certe bonae spei mentium potius habeamus rationem. Ostendi quondam meas annotationes rudes adhuc et adhuc a follibus, quod aiunt, calentes viris integerrimis, summis theologis, doctissimis episcopis. Hii fatebantur ex illis qualibusunque rudimentis sibi plurimum lucis affulisse ad diuinarum litterarum cognitionem.

835 Porro quod admones sciebam, Laurentium Vallam ante nos hoc laboris occupasse, quippe cuius annotationes primus curarim euulgandas; et Iacobi Fabri in Paulinas epistolas commentarios vidi. Atque utinam ab his sic esset elaboratum ut nostra industria nihil foret opus. Evidem Vallam plurima laude dignum arbitror,
840 hominem rhetoricum magis quam theologum, qui hac diligentia sit usus in sacris litteris ut Graeca cum Latinis contulerit, cum non pauci sint theologi qui nunquam vniuersum Testamentum ordine perlegerint: quanquam ab hoc aliquot locis dissentio, praesertim in his quae ad rem theologicam pertinent. Porro Iacobus Faber
845 commentarios illos iam tum habebat in manibus, eum nos hoc operis moliremur; ac parum commode euenit ut nec in familiarissimis colloquiis alterutri nostrum in mentem venerit de suo meminisse instituto. Nec ante cognoui quid agitasset ille, priusquam opus formulis excusum prodisset. Et huius conatum vehementer approbo:
850 quanquam ab hoc quoque locis aliquot dissentimus inuiti, cum tali amico libenter διμόψηφοι futuri per omnia, nisi veri magis quam amici esset habenda ratio, praesertim in sacris litteris.

Sed mihi nondum satis liquet cur hos duos obiicias. Num ut a re velut occupata deterreas? At apparebit me post tantos etiam viros
855 non sine causa laborem hunc suscepisse. An hoc significas, nec istorum industriam probari theologis? Evidem quid Laurentio ad veterem illam inuidiam accesserit non video. Fabrum audio probari ab omnibus. Quid quod nec omnino simile negocium molimur?
Laurentius tantum annotauit locos aliquot, idque, ut appareat, in
860 transcurso leuique, quod dici solet, brachio. Faber in Paulinas dun-

837. vidi A: videram a.

835. admones] Ep. 304. 89 seq.

836. euulgandas] Ep. 182 introd.

844. Faber] Cf. Ep. 326. 90 seq.

847. colloquiis] Probably during Erasmus' visit to Paris in 1511; cf. Epp. 218-22.

taxat Epistolas aeditit commentarios, easque suo more vertit: tum si quid diserebat, obiter annotauit. Nos vniuersum Testamentum Nouum ad Graecorum exemplaria vertimus, additis e regione Graecis, quo cuius promptum sit conferre. Adiecimus separatim Annotationes, in quibus partim argumentis, partim veterum autoritate 865 theologorum docemus non temere mutatum quod emendauius, ne vel fide careat nostra correctio vel facile deprauari possit quod emendatum est. Atque vtinam praestare potuissemus quod sedulo sumus conati. Nam quantum ad ecclesiae negocium attinet, nihil verebor has meas vigiliolas cuius episcopo, cuius cardinali, cuius etiam 870 Romano Pontifici dicare, modo talis sit qualem habemus. Postremo non dubito futurum quin tu quoque sis aedito libro gratulaturus, qui nunc ab aedendo dehortaris, modo vel paululum eas degustaris litteras sine quibus hisce de ebus recte iudicari non possit.

Vide, mi Dorpi, vt eodem officio geminam inieris gratiam; nimirum 875 alteram apud theologos istos, quorum nomine diligentissime functus sis tua legatione; alteram apud me, cui tam amica admonitione testatiorem feceris amorem tuum. Tu vicissim boni consules nostram aequa liberam satisfactionem; et, si sapis, nostro consilio potius accedes, qui tuam vnius rem ago, quam istorum qui tuum ingenium 880 eximiis rebus natum non ob aliud student in suam trahere factionem quam quo tanti ducis accessione suas communiant copias. Sequantur illi meliora, si possint; sin minus, tu tamen quod est optimum sequere. Quod si non potes illos reddere meliores, id quod velim te adniti, saltem illud caue, ne te reddit deteriorem. Porro fac vt qua 885 fide causam istorum apud me egisti, eadem meam agas apud istos. Placabis homines, quoad fieri potest, et persuadebis me quod facio non in eorum facere contumeliam qui hasce litteras nesciunt, sed in publicam omnium vtilitatem; quae nemini non patebit, si velit vti, neminem vrgebit, si malit carere: tum eo esse animo vt, si quis 890 exoriatur qui rectiora docere possit aut velit, me primum fore qui nostra rescindam et abrogem et illius subscrivam sententiae.

Iohanni Paludano multam ex me salutem dico, cum quo fac vt hanc de Moria litem partiaris propter commentarios illi dicatos a Listrio nostro. Doctissimo Neuio, humanissimo D. Nicolao de 895 Beueris, Praeposito diui Petri, fac me diligenter commendes. Menardum Abbatem, quem tam magnificis ornas praeeconiis, nec dubito quin, qua es fide, verissimis, vel tua causa diligo venerorque, neque negligam in litteris meis, simul atque inciderit commoditas, eius

871. Romano A a³: Romano etiam a² Lond.

895. Nicolao] of Burgundy; Ep. 144. belonging to the family; cf. Ep. 93 Beueren was one of the lordships introd.

900 honorificam facere mentionem. Bene vale, mortalium charissime
Dorpi. Antuerpiae. An. M.D.XV.

335338₄₄₆ FROM LEO X.

Basle MSS. Erasmiana Urk. II^b. 2, 3 (β^1 , 2).

Rome.

Breue f^o. a² v^o. (β^3).

10 July 1515.

B. f^o. c⁴: C². p. 220: F. p. 80: HN: Lond. ii. 4:

LB. 178.

[There are two manuscripts of this letter and Ep. 339 in the Basle University Library. One (β^1) is in the hand of Boniface Amorbach, and from its similarity with the Velleius (Basle MS. AN. II. 38), which he finished copying on 11 Aug. 1516, it was probably written at the same period; an inference which, as will be seen, accords with the facts. The other, Urk. II^b. 3 (β^2), is in the hand of Conrad Fonteius (p. 67), and though it agrees with β^1 except in some negligible variants, its reading in Ep. 339. 1 shows that it is independent.

The letters were first printed in B in Oct. 1516; but later in the year they were published separately by Beatus Rhenanus (β^3) in response to a request from Othmar Nachtgall. The book, *Breue sanctissimi domini nostri Leonis X ad Desyderium Erasnum Roterodamum*, Basle, Froben, consists of only eight pages and is without date; but Beatus' preface to Nachtgall (BRE. 54) is dated 'pridie Calendas Ianuarias. Anno M.D.XVI', which in BRE. is interpreted as 31 Dec. 1515. According to commoner practice, however, the date should mean 31 Dec. 1516; and this is confirmed by the wanderings of the letters before they reached Erasmus' hands. On arriving in England, perhaps c. 19 August 1515 (Brewer ii. 823), they were given into the charge of Ammonius. He, feeling uncertain of Erasmus' movements, retained them; and it was not till Feb. 1516 that he ventured to send one of the duplicates of Ep. 338 and the copy of Ep. 339, together with Ep. 340, through Pace (Ep. 427 and 429) to Erasmus at Basle (Ep. 389. 20-26). After following Pace into Italy (Jortin ii. 347) these did not reach Basle until Erasmus had left; and though they were dispatched after him (Epp. 419 and 460), the first that he saw of these proofs of Papal favour was when Meghen (Ep. 412 introd.) arrived at Antwerp in July 1516 with the other copy of Ep. 338 sent by Ammonius (Ep. 429. 5, 6). Ep. 339 he cannot have seen till he reached England a few days later (Ep. 429 and 457. 37, 8). The documents sent through Pace, except Ep. 340, were finally delivered to him at Antwerp in September (Ep. 475. 36, 7; cf. Brewer ii. 2299).

β^1 and β^2 agree together and differ from B in two important readings, where Erasmus decided to alter the text. It is clear, therefore, that Boniface's copy was taken from the documents sent by Ammonius to Basle; and that Beatus' book may have been printed from his manuscript. Further confirmation for the date assigned to Beatus' preface is given by the mention in it of his recent visit to Strasburg; cf. Ep. 460 and BRE. 62.

Sadolet, who composed Epp. 338 and 339, had been appointed Papal Secretary on the accession of Leo x. The dates given are unquestionable.]

LEO PAPA X.

DILECTE fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Letati admodum sumus ex tuis ad nos litteris Londini datis; pertulerunt enim cum amorem tuum, tum praeclarum de nobis iuditium quod facis; quorum vtrumque nobis gratissimum. Hoc etiam erant ambo illius striora, quod non a quo quis homine, sed a viro doctissimo et nobis probatissimo, quem et in minoribus cognouimus, illa nobis accidebat gratulatio, quam summa scribentis fides et summa eloquentia commendaret. Quapropter volumus tibi certo persuasum esse nos